

W. 59.4.

COMMENTATIO
DE
GAVDIO SANCTORVM EX SALVTE
SACERDOTVM PERCEPTO

Q V A

SALOMONI DEYLINGIO

THEOLOGO CELEBERRIMO ET MAXIMIS DE RE
DIVINA MERITIS ILLVSTRI

ANTISTITI SVO ET EPHORO GRAVISSIMO

PIEQVE COLENDO

IVBILAEVM MVNERIS SACRI

GRATVLATVR

MINISTERIVM SACRVM LIPSIENSE.



as.

L I P S I A E

M D C C L V.



GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE SACERDOTVM PERCEPTVM.

§. I.

Promissorum diuinorum praefstantia et usus.



HABENT vtriusque foederis tabulae, a DEO
nobis traditae, hoc etiam diuinae originis
et auctoritatis suae indicium atque docu-
mentum, vt bonorum omnis generis pro-
missionibus abundant, magna adseuerationis religione ob-
ligatis. Idque sapientissimo NVMINIS aeterni consilio
prouisum ita esse nouimus, a quo, quidquid humano ge-
neri salubre atque frugiferum est, vnice dimanat. Qui
enim serio saluos volebat esse homines, hereditario origi-

nis malo adflictos, suaque perditos culpa, his promissis,
omnium fide et adprobatione dignissimis, arcanum salutis
aperiebat, nulli perspectum, et signum velut aliquod sui
in nos amoris tollebat ad bene de rebus nostris sperandum.
Evidet a probis rectisque hominibus propter seipsum,
et, quia infinita est eius perfectio, bonis omnibus, quae
cadunt sub sensus, longissime anteferenda, coli debet sum-
mus ille bonorum omnium auctor et parens: non quia vel
ponens repugnantes in ordinem redigit, subactosque et
perpulsos, vi adhibita, redire ad officium cogit; aut praem-
mia obsequio nostro statuit. Mercenaria enim haec opera a
sanctitate, DEO probata, abhorret, atque indecora est
illis, qui in filiorum DEI numerum recipiuntur. Videt
tamen, qui in ipsis animi nostri recessus oculis suis pene-
trat, DEVIS, ita comparatam esse hominum naturam, ut
omni impetu suo feratur ad felicitatem, omnesque ad res
bonas bene faciendum, omittendumue malas, et ferendum
aduersas, spe boni, certo consequendi, proposita, acrius in-
tentur. Itaque humanae infirmitati se quasi accommoda-
uit, et praemia cultoribus suis largissima pollicitus est, ut
in promissis diuinis languescentis fidei fulcrum; incita-
menta voluntarii amoris; sanctitatis adiumenta; doloris et
molestiae leuamentum, et quoddam salutis pignus habe-
rent, hic degustandae, perfecte autem inter caelites
fruendae. Atque eo nomine a SPIRITU SANCTO saepe
numero ea in verbo, quod fidei vitaeque nostrae norma
est,

est, commendari; et iam ab auctore suo ἐπαγγελίας Θεοῦ *) iam, propter praestantiam, τίμια καὶ μέγιστα ἐπαγγέλματα **) iam, propter amplitudinem, ἐπαγγελίας ζωῆς τῆς νῦν, καὶ τῆς μελλόντης ***) ; iam, propter fidem certam, quam per τὸ ἀμετάθετον τῆς τοῦ Θεοῦ θουλῆς habent, πράγματα ἀμετάθετα ἐπαγγελίας οὐτας τὸ νῦν, καὶ τὸ Αἰώνιον εν Χριστῷ ****) adpellari scimus. Quae, quoties nobiscum reputamus; toties infinita DEI optimi ac beneficentissimi magnitudine in admirationem rapimur. מֵה יְקַרְתָּא אֱלֹהִים רַב טוֹבֶךְ† et מֵה יְקַרְתָּא אֱלֹהִים טוֹבֶךְ‡ : Toties religionis reuelatae praerogatiuam plane singularem venerabundi agnoscamus; eamque, qui ex his ipsis DEI promissionibus non vident, aut contemnunt; perditii sunt, coeci, vecordes, atque, ut Plauti verbo vtamur, *incogitabiles*. Quid enim ipsum illud *Eudaemonicum* philosophandi genus, memoriae veteris sapientibus tantopere iactatum, habet, praeter fucum, si cum bonis conferatur, diuinitus nobis promissis. Quam frigent in eo omnia: quam iejuna et manca sunt: quam nihil adferunt sinceri ac firmi ad tranquillandam mentem, ad alendum virtutis studium, ad comparandam, inter tot rerum humanarum vicissitudines, et turbulentos animi motus, vitam vere bea-

A 3

tam:

*) 2 Cor. I, 20.

****) Hebraeor. VI, 18. 2 Cor. I, 20.

**) 2 Petr. I, 4.

†) Ps. XXXI, 20.

***) 1 Tim. III, 8.

‡) Ps. XXXVI, 8.

VI GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

tam: quam sordent in eo omnia, magnifice et splendide
dicta; si DEI, salutem nobis promittentis, oracula audias,
quibus nihil grauius; nihil ad commendandam religionis
nostrae excellentiam aptius; nihil suauius homini, ad ae-
ternitatem contendenti, excogitari potest.

§. II.

*Compendium quoddam promissorum diuinorum
in Psalmis Davidis.*

NVLLVS autem vtriusque instrumenti, CHRISTI
sanguine confirmati, liber vberior et copiosior diuinis
promissis esse videtur illo, qui regii vatis hymnos conti-
net, adflatu SPIRITVS SANCTI compositos. Thesau-
rum quidem illum dixeris omnis doctrinae caelestis, et
quoddam quasi litterarum sacrarum compendium, in quo
nihil facile, quod homini, suae cupido salutis, vel cre-
dendum, vel faciendum, vel sperandum est, desideres.
Si enim rerum populi, a DEO dilecti, gestarum, et bene-
ficiorum, in eum diuinitus collatorum, scientiam quaeris:
historiam Psalmi exhibent. Si vaticinia de CHRISTO,
eiusque regno, amas: magna eorum copia tibi hic obue-
niet. Si mysteriorum diuinorum cognitione imbuere
mentem vis: lege Psalms. Si de commoda ad omnem
theologiam via sollicitus es: Psalmi eam monstrant. Si
vindicare veritatem a doctorum, peruersae mentis, errori-
bus et corruptelis studes; si ad monstra illa hominum, diuini-
tatis

tatis sensum opprimentium, profliganda operam confers: arma Dauides suppeditat. Si familiari cum DEO consuetudine delectaris: nemo eam te felicius, viro hoc, ad mentem DEI formato, docebit. Si ad praedicandas DEI laudes animum adiicis; si colloqui cum DEO cupis: materiam et verba suggerit. Si morum disciplinam colis: aptissimum hic ducem reperies. Immo vero nihil tam amplum ac praeclarum dici vñquam poterit, quod non supereret Psalmorum liber, ita, singulari quodam SPIRITVS SANCTI munere ac dono, adornatus, vt vsus eius ad singulos cuiusuis ordinis, aetatis ac dignitatis homines, in rebus aduersis non minus, quam secundis, pertineat. Merito igitur de eo BASILIVS iudicat: Ἡ τῶν ψαλμῶν βίβλος τὸ εκ πάντων ὀφέλιμον περιείληφε. Προφητέει τὰ μέλοντα. Ισορίας ὑπομιμήσκει νομοθετεῖ τῷ βίῳ. Ὑποτιθέται τὰ πρακτέα. καὶ ἀπαξιπλῶς κοινὸν ταμεῖόν ἔσι ἀγαθῶν διδαχυμάτων, τὸ ἐνάσω πρόσφορον. Homil. I. in Psalm. I. Oper. Tom. I. p. 107. Addit idem p. 109. Εὐ τάυτα ἔνι θεολογία τελεῖα. Τι γάρ ἐν τῷ μάθοις ἐντεῦθεν; οὐ τῆς αἰδεῖας τὸ μεγαλοπρεπὲς, οὐ τῆς δικαιοσύνης τὸ ἀνθίζεις; οὐ σοφεωσύνης τὸ σεμνὸν; οὐ τὸ τῆς φρενήσεως τὸ τέλειον; οὐ μετανοίας τρέπον; οὐχ ὑπομονῆς μέτρα; οὐχ ὅτι ἐποιεῖ ἀγαθὸν; Elogia aliorum praestantium omni laude virorum, in primis GREGORII NYSSENI Tr. I. in Psalmor. inscriptiones, Cap. IIII. Oper. Tom. I. p. 265. ATHANASII, de interpretatione Psalmorum; epistol. ad Marcellin. oper. Tom. I. p. 744. sq. AVGUSTINI, EVTHY.

EVTHYMII ZYGABENI CHRYSOSTOMI, et quae
CARPZOIVS in *introduct.* ad *libr. canon.* atque THO-
MAS CRENIVS, *de libris scriptorum optimis, exercitat.* III.
aliique, quorum magnus est numerus, in laudem Psal-
morum collegerunt, praeterimus. Ad promissiones enim
DEI animum et cogitationes intendimus; quibus plena
sunt in diuinis his carminibus omnia. Totus videlicet
erat vir, DEO carissimus, in explicandis beneficiis, a libe-
ratore generis humani et salutis nostrae adsertore partis,
eorumque enumeratione librum suum mirifice illustrat.
Iam gratiam, culpae nostrae factam, adnunciat. Iam mi-
feros de auxilio, in rebus dubiis et acerbis praesentissimo,
certos esse iubet, dummodo DEO firma stabiliq[ue] fide ad-
haereant. Iam depresso indignitatis suae sensu ad fidu-
ciam erigit, vt, abiecto metu, in conspectum DEI veniant,
prout filios tanti Patris decet. Iam marcentibus in-
genita ignauia stimulus subiicit propositis ante oculos
sanctitatis praemiis. Iam beatas sedes aperit, vt
finem malorum exoptatissimum videant, qui cum huius
saeculi miseriis conflentur, animique constantiam seruent.
Nec concipi cogitando villa hominis sancti virtus, aut officium
vllum, aut incommodum potest, cui nulla hic pro-
posita sit promissio. Pudeat ergo omnes profanae mentis
homines suae in rem diuinam, ipsumque SPIRITVM
SANCTVM, iniuriae, quibus suaves haec sanctorum
mentium dapes tanto sunt fastidio, vt illis Pindaricas odas
prae-

praferendas esse arbitrentur. *) Audiant, si saniora pati consilia possunt, tot testes, qui vim illam ac virtutem diuinam, in Psalmis reconditam, salutari sensu non minus percepérunt, quam Emmauntici illi CHRISTI discipuli flam-mam senserunt, ardente in ipsis animi medullis, magistro cum ipsis colloquente. Luc. XXIII, 32. Qui testes si ipso-rum fastui non sufficiunt: doctorem audiant summum, caelesti voce nobis commendatum, et legatos eius praestantissimos, quibus eo in honore Psalmorum liber fuit, ut frequentissime illum tamquam adflatu SPIRITVS SANCTI scriptum, adducerent; si caput aliquod fidei confirmabant, in quo praecipuum esset momentum; vel ab im-petu hostium veritatem vindicabant; vel ad caelestem spem erigebant vacillantes; vel si alia res ad gloriam Messiae de-monstrandam attinens agebatur.

§. III.

Adducitur insignis promissio ex Psalmo CXXXII.

NOBIS iam obuersatur illustris ille locus *de gaudio sanctorum hominum ex salute sacerdotum percepto*, quod Dau-

*) Notus est et peruvulgatus Lazarus Bonamici Psalmorum contem-nitus, quem temeraria voce pro-diit, palam professus, se odas Pindaricas longe Psalmis Davidi-cis praeferre. Sunt, qui, labi eadem Angelum Politianum, do-

ctissimum virum, infectum fuisse, referunt; neque liberari ab ea posse videtur, si quidem res trium testium, non suspectae fidei, Mornaci, Peuceri et Melanchthonis calculo aestimanda sit.

Dauides, ἐν πνέυματι, siue, Petro interprete, Φερέμενος ὑπὸ πνέυματος ἀγίου, loquens, tamquam egregium beneficium, CHRISTO referendum in acceptis, ecclesiae pollicitus est. Adducamus ipsa eius verba ex *Psalmo CXXXII. com. XVI.* quae grauem dictantis ea SPIRITVS SANCTI maiestatem produnt et suavitae sua influunt in animos, nostroque et ordini et instituto scribendi in primis conueniunt. וְכָהֵנָה אֶלְבִישׁ יְשֻׁעַ וְחִסְדֵיהָ רֹן יוֹרְגָּנָם. Versio Alexandrina: τούς ιερέας αὐτῆς ἐνδύσω σωτηρίαν, καὶ εἰ δύσις αὐτῆς ἀγαλλιάσει ἀγαλλάσσονται. Sacerdotes eius salute induam, et sancti eius iubilando iubilabunt.

§. III.

Verba Dauidi vindicantur.

ANTE vero quam ad explicandam verborum sententiam accedimus: hanc nobis veniam facile aequos letores esse datus arbitramur, ut magnorum, auctoritatem interpretum deserere nobis liceat, qui hunc Psalmum non Dauidis, sed Salomonis, esse perhibent, eumque putant post splendidam templi aedem, perfectam a Rege sapientissimo, compositum. Quamuis enim non sit, cur ea in re cum quoquam magnopere contendamus; cum in eo boni omnes consentiant, Θεοπνέυστος scriptum esse cantum: graues tamen caussae nos permouent, ut, ipsum Dauidem illius esse auctorem, statuamus. Commemorat sacrum Carmen *versu II.* sequentibus votum aliquod dedi-

dedicando DEO Iacobi templo, iuris iurandi religione a
 Dauide nuncupatum. Adducit v. II. sequentibus so-
 leme illud DEI verbum, promissi vim habens, et for-
 mula iurandi confirmatum, a Petro autem in N. T.
 Auctor. II. 30. repetitum; quo certior factus est Dauides,
 fore, ut ex semine suo Messias oriatur. Quae si quis suis
 expendit momentis; in eam facile sententiam adducetur,
 scriptam esse diuinam odam circa tempus, quo pius Rex
 de exstruendo templo cogitauerat, et, patefacta ipsi per
 Nathanem DEI voluntate acceptaque promissione de Mes-
 sia ex gente sua prodituro, ab instituto auocatus erat. De
 quo cum 2 Sam. VI. et VII. exponatur; operae pretium
 faciet lector, si rem gestam omnem cum Psalmo nostro
 conferat. Praeterea exstant quaedam in hoc carmine,
 quae cum argumento prioris partis Psalmi LXXXIX. ex-
 aste conueniunt, atque, vnum esse vtriusque auctorem Da-
 uidem, nobis persuadent. Accedit dicendi ratio, in hoc
 Psalmo adhibita, respondens Psalmorum dictio[ni], qui sine
 controuersia prophetae huius sunt. Suffragantes habe-
 mus Hebraeorum magistros ABEN EZRAM. KIMCHI,
 versionem Syram, non contempnendae auctoritatis, IRHO-
 VIVM, ex nostris autem SCHMIDIVM, MICHAELIS
 aliosque plures. Vrgent, qui ex aduerso sunt, loquen-
 tem in hoc Psalmo pro Dauide deprecari, velit DEV S illius
 esse memor, et re ipsa testari, fauere se huic regi, pristinam-
 que illi gratiam seruare. Ex quo sequi putant, ab alio,

et quidem post Dauidis ex hac vita discessum carmen scriptum esse. Sed non cogitant viri optimi, dum haec nobis obiiciunt, Dauidem decantandum illud Musicis dedisse, et in usum totius ecclesiae et ciuium illius compusisse, qui pro salute Regis preces ad p̄evm deferunt. Neque recordabantur, non inusitatum esse in sacris, vt nomen loquentis pronominis primae personae locum obtineat; cuius rei exempla plura in Psalmis Dauidicis prostant. v. Ps. LXI, 7. 9. LXIII, 12. Postremo, si nonnulla nobis opponunt huius Psalmi, quae alibi Salomon iisdem verbis enuntiat: memores sint, filium, paternae virtutis aemulum, multa fecisse sua, quae a patre perceperat. v. Ps. CXI, 10. Prou. I, 7.

§. V.

Argumentum Psalmi in summam redactum.

GRAVIA esse et momenti maximi, quae sanctissimum carmen tractat, longa demonstratione non indiget. Sunt, qui, ipsum titulum שיר המלוכה, quem decem et quinque Psalmi ordine, a centesimo vicesimo ad centesimum tricesimum quartum, habent, argumenti praestantiam indicare, censem. De quo tamen, in tanta dissentientium opinione diuersitate, certi nihil umquam definietur. Res ipsa hic loquitur. Quoties enim in sacris vel vota sanctorum hominum, religiosa adffirmatione nuncupata, vel ipsius DEI verba, sanctissimo iure iurando confirmata, adducuntur;

toties

toties monere nos SPIRITVS veritatis voluit, res summas, attentione omnium saeculorum dignissimas, et cum salute omnium coniunctas, certasque ac stabiles; quibus ad fidem, DEO habendam, obligemur, et quae nec mutari a quoquam possint; nec violari cuiusquam perfidia debeant, adferri in medium. Ps. CX, 4. Es. XXXXV, 23. LIII. 9. Ezech. XXXIII, II. Hebr. VI, 17. *). Vtrumque hic fieri videmus. Prior Psalmi pars, quae *a versu I. ad X.* progettatur, Dauidem sistit, DEO dicatum et sacramento contendentem, se totum DEI fore et sua omnia DEO, eiusque cultui inter homines propagando consecrassē. Sciebat sanctissimus princeps, cui reipublicae procuratio commissa erat, publicam esse rem immortalis DEI religionem, praecipuum illud validissimumque omnis societatis vinculum, quod maximum habet ad salutem ciuium momentum. In eo ergo omnem operam, industriam et cogitationem figebat, ut firma reipublicae fundamenta in religione iaceret, et grati animi pietatem DEO testaretur. Sed maiora sunt, quae in mente Dauidi erant, cum sacramentum diceret, se locum, diuino cultui sacrum, DEO dicare velle. Messiam, in externis diuinatarum rerum

B 3

signis,

*) Ipsi Poetae et Comici scriptores, deorum ius iurandum adducentes, decretum eorum firmum indicant AESCHYLVS, Agamenon. v. 1299. Ομώνοται

γάρ ὅπος ἐκ Θεῶν μέγας ΑVGUSTINVS: Quid est, ait, dei veri veracisque iuratio, nisi promissi confirmatio, et infidelium increpatio. de C.D. XVI, 32.

signis, veneratur, eumque praeuidet DEI templum instauraturum, in quo non adparatu externo, non pompa aliqua, non frigidis caerimoniiis, non verbis, intra labia nascentibus ac pereuntibus, sed toto pectore intimisque velut medullis et vitae sanctitate colendus esset. Voto regis preces suas populus adiungit a v. VI. X. Posterior Psalmi pars IEHOYAM proponit, Messiam ex gente Daudis originem habiturum, omnisque generis bona populo suo adulaturum, iure iurando, quod violari et mutari nequeat, respondentem, a versu X. ad finem.

§. VI.

Sapientia diuina in oraculo nostro expenditur.

IN HIS bonis multa promissis religione, nouoque foederi praecipue reseruatis, sapientia DEI summa in primis admiranda est. Attemperat enim OPTIMVM NVMEN beneficia sua hominum indigentiae ac necessitatibus; eoque maiore copia ea dilargitur, quo maiora illis committit exequenda, et quo grauiora sunt mala, cum quibus colluctantur. Sacerdotes quis nescit difficillimam rem, et molestiis implicatam plurimis, quin etiam odiis quorundam et inuidiae expositam, sustinere. Legatione DEI ad homines funguntur; sanctam cognitionem DEI, eiusque cultum commendant pluribus; eripiunt errores; corrugunt mores; animaduersores sunt vitiorum; custodes fideles veritatis ac pietatis; et, ne quid labis ex hominum iniquitate

tra-

trahat religio, cauent. Ea autem est ingenii deprauati libido, vt haec bona, quibus vita, salus et incolumitas nostra continetur, in molestis incommodisque rebus numeret, eisque repugnet, qui meliora docent, et molestissimam illis pro curationem ac prouinciam utilissimam faciat. Subuenit ergo DEVS inopiae sacerdotum opibus suis, atque omnia illis salutis praesidia, ad rem grauissimam rite faciendam, pollicetur. כהנִים אלבָשׂ רַשׁ

§. VII.

*Ad DEVUM auctorem cur referatur
promissio.*

HAEC QVI in conseruationem salutemque sacerdotum decreuit, DEVS ipse est. יְהוָה v. i. 2. 8. II. DEVS, foedere cum suis iunctus, omnis salutis princeps, Sionis suae, hoc est ecclesiae V. et N. T. dominus et sacerdotii auctor. Talem enim esse oportebat, qui miseris hominum rebus sucurreret, et verum se humani generis restauratorem demonstraret. Iactabat olim credula et superstitione antiquitas suos σωτέρες. Castor et Pollux ob sedatam maris rabiem; Aesculapius ob depulsos morbos; ob domita monstra Hercules σωτέρων nomen accepere. Syracusani Verrem nonsolum Patronum suae insulae, sed etiam, repositum fere in deorum numero ac coetu, *Sotera* dicebant; quod quantum sit, uno verbo Latino exprimi non posse, censet CICERO, eumque *Sotera* esse iudicat, qui salutem dedit;

dedit; in Verrem lib. IIII. Cap. LXIII. Valeant autem ficta illa et commentitia numina, et omnes, qui diuinitatem affectant, aut cultu DEO debito digni ab hominibus, diuinioris doctrinæ expertibus, iudicati sunt. Quem autem recentiores philosophi Platonici in scriptis suis implorant supplicesque venerantur *σωτῆρα*, eum studio imitandi christianos adoptarunt, non satis cognitum *) nec ea, qua decet, animi religione, cultum, sed foeda dedecoratum superstitione. Nos ab uno DEO vero eoque trinuno salutem omnem proueniire, sacris edocti litteris, scimus; illam praecipue salutem, cuius humana ratio nullam partem adsequitur, qua a sordibus peccati purgati, ab ultrice DEI ira, quam humanum scelus prouocauit, et yniuersa inferorum saeuitia ac sempiternis suppliciis in libertatem vindicati sumus, nobisque gratia, pax, regnum et omne, quod expredi votis potest, bonorum genus recuperatum est. Atque hanc quidem salutem Pater, *πάντων σωτῆρις*, **) procurauit: Filius, *ἀγκυλὸς σωτῆρις*, ***) acquisiuit; Spiritus sanctus accommodat et obsignat: quod alio loco copiose demonstratur. Ex hoc igitur *πληρόματι* cum omnes *χάριν αὐτὶ χάριτος* ξαῖν νεὶ περισσὸν, νεὶ πάντα, repetere queant; sacerdotes etiam omnem salutem suam eo certiore fiducia exspectant,

quo

*) V. SIMPLICIVS Commentar. in **) 1 Tim. III, 10. Tit. III, 4.

Epiclet. p. 332. *Ιητεύων σωτῆρας,*
ἀφελέν τελέιως τὴν ὄχλην ***) Ebr. II, 10,
τὰν φυτικῶν ἡμῶν ὄμματαν.

quo certior est promittentis DEI fides. Io. I, 18. X, 10.
Rom. VIII, 32.

§. VIII.

Sacerdotes promissione illa beati.

VIDEAMVS nunc, qui sint, ad quos promissum pertinet. **כהן** Sacerdotes eos Psalmus vocat. Constat autem inter omnes, sanctae linguae non ignaros, vocem **כהן** late patere, ac sacrum non minus, quam ciuilem ministrum denotare. Sic Moses et Aaron **כהנים** adpellantur; cum hic tantum sacra procuraret. Ps. XCIVIII, 6. Dauidis filii, qui fungi sacerdotio nequaquam poterant, eodem insigniuntur nomine; quia, ut scite explicatur, Chron. XVIII. 17. **כִּימָן הַמֶּלֶךְ** ad manum regis erant. Ratio promiscui vocis usus repetitur ab eius origine. **כהן**, *administrare*; ministerium autem aliquod viris, ecclesiae et reipublicae praefectis, tribui posse, quis neget. Ipsa etiam historia sacerdotii documento est, vtramque dignitatem, ciuilem et sacram, coniunctam a primis fere temporibus fuisse. Qui principes erant familiae apud Hebraeos, sacra administrabant, et ciuilia tractabant negotia. Iethro, Mosis sacer, **כהן מֹרֵן** Exod. II, 16. III, 1. XVIII, 1. quia, ut non male coniiciunt viri eruditii, euectus ultra vulgarem Kinacae plebis sortem, principis ac sacerdotis personam gessit. V. ANDR. MVRRAY. *Comment. de Kinacis.* Et quid impedit, quo minus reipublicae proceres sacra

C

simul

XVIII GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

simul carent ac tueantur, qui custodes vtriusque tabulae
 constituti a D^EO sunt, et ἐπίσημοι τῶν ἐντὸς τῆς ἐκκλησίας
 esse debent. vid. 10. a MARK; Exercitat. miscell. p. 209.
 LEIGH Crit. S. V. T. p. 209. SEELENIVS, medit. exeget.
 P. III. Cap. XXVII. p. 809. sq. Non inueniunt autem hic,
 quod petunt erroris sui praesidium, Romanae sedi ad-
 dicti, qui illud ius in omnia mundi imperia, quod Pontifex
 Romanus coniunxit cum ecclesiae regimine, aut temere po-
 tius sibi arrogauit, ipsa voce כהן et exemplo Mosis, summo-
 rumque apud Iudeos Pontificum stabilire conantur. Nos,
 qui religionem in pristinum restitutam, et repetitam in Au-
 gustanae Confessionis formula, profitemur, vtramque pot-
 estatem, tam sacerdotii, quam imperii, religiose propter
 mandatum diuinum, tamquam summa D^EI beneficia, ho-
 minibus in terris concessa, veneramur: non confundendos
 tamen vtriusque fines esse censemus; nec sacerdotio irrum-
 pendи in alienum officium veniam concedimus; sed, disiun-
 ctis vtriusque potestatis interuallis, cuique relinquimus,
 quod suum est. Nostrum autem locum, qui de sacerdo-
 tibus illis iustitiae, quorum in iure dicundo et regen-
 da republica versatur opera, explicare vellet; longe re-
 cederet a mente diuini vatis, et aliena omnia sermoni
 eius adsingeret. Non melius sapiunt, qui sacerdo-
 tes spirituales hic quaerunt, et, promissum D^EI ad
 omnes pertinere sanctos, existimant. Verum est, libe-
 ratorem nostrum ius illud regii sacerdotii sanctissimum
 ממלכת

מֶלֶכְתַּת הַכָּנִים *) Iudeorum factio[n]i eruptum, transstu-lisse ad omnes, qui eius sequuntur disciplinam. Habemus testem Iesaiam, vatum omnium principem', וְאֶתְمַכְנֵן יְהוָה תְּקֹרֶן (**). Testem Petrum: Καὶ αὐτοὶ ἱεράτευμα ἀγίου, ἀνενέγκαι πνευματικὰ θυσίας, ἐνπροσδέκτων τῷ Θεῷ, διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ: et paullo post: Τμῆς γενός ἐκλεκτὸν βασιλεῖον ἱερά-τευμα ἔθνος ἀγίον ***). Testem Ioannem, theologum: Ἰησοῦς χριστὸν ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερῆς τῷ Θεῷ καὶ πατρὶ αὐτοῦ ****). Testes quatuor et viginti seniores, sapientil-simos ecclesiae et reipublicae moderatores, magnos laudum saluatoris praecones: Ἐποίησας ἡμᾶς τῷ Θεῷ ἡμᾶς βασιλεῖς καὶ ἱερῆς *****). Funguntur autem hoc sacerdo-tio, per translationem sic dicto, homines, DEO nati, et in eius gratiam per fidem in CHRISTVM recepti, tamquam filii, et omnis creaturae προτότοκοι; dum animam eiusque facultates DEO sacrificium offerunt; dum lumine diuino ad incrementa in salutari DEI cognitione capienda, vtun-tur; dum voluntatem suam penitus conformant ad diuina[m]; dum corpus, et omnia eius membra, DEO tradunt; dum omnes conatus, studia omnia et cogitationes, diuinæ gloriae consecrant, totosque se summo NVMINI, cui de-bent omnia, mancipant. Haec est illa hominis sancti consecratio, καθιέρωστη CYRILLVS nominat, homil. XXII.

C 2

in

*) Exod. XIX, 6.

****) Apoc. I, 6.

**) Ies. LXI, 6.

*****) Apoc. V, 10.

***) 1 Petr. II, 5. 9.

in Psalm. Haec a Paullo, ad Romanos scribente, tam grauiter commendata λατρεία λογική, παρασημονή τὸ σῶμα θυ-
τοῖς ζωταῖς, ἀγλαῖς, ἐνάρεσον τῷ Θεῷ. Conuerterunt in rem suam
philosophi, a sacris christianorum recedentes, aliquam ve-
ritatis huius, sed non satis intellectae, et male accommo-
datae partem. Adduxit locum LACTANTIVS ex libro
Senecae, qui periit: *Vultisne vos deum cogitare, magnum
et placidum, et maiestate verendum, amicum, et semper
in proximo, non immolationibus et sanguine multo colen-
dum: quae enim ex trucidatione immeruentum voluptas est:
sed mente pura, bono honestoque proposito. In suo cuique
consecrandus est *).* HIEROCLES, qui non vulgarem
posuerat in christianorum auctorum lectione industriam,
christiana fere formula: Μόνος ait, εἶδε τιμᾶν ὁ προηγόυμενος
ἰερέων ἑαυτὸν, προσέργων καὶ ἀγαλματοῦ Θεῶν τεκταίνων τὴν ἑαυτὸν
ψυχὴν, καὶ νὰν εἰς ὑποδοχὴν τὸν θεῖον Φωτὸς τὴν ἑαυτὸν πα-
ρασκευάζων νοῦν **). Verum haec, quae, suo tractata loco,
et a maximis theologis, CALOVIO, BAIERO, CARPZO-
VIO, QVISTORPIO, WERNSDORFIO, editis de *sacerdo-
tio christianorum regio libris*, docte copioseque explicata
sunt ***); licet magnam habeant gratiam et utilitatem,
remque christianam et decus eorum, qui illam profitentur,
mirifice illustrent; ad rem tamen nostram nihil omnino
fa-

*) *Instit. diuin. libr. VI. Cap. XXV.* ***) AER. CALOVIVS; *de regali sa-*

**) *Commentar. in aur. Pythagor.* *Carm. p. 174.* *cerdotio. Witteb. MDCLXXIX.*
denuo edit. MDCCCI.

faciunt. Namque sacerdotes, quibus promissa est salus, singularem in ecclesia ordinem constituant, a DEO ipso rei sacrae procurandae destinatum. Nulla hic opus est demonstratione; cum res ipsa claris argumentis signisque luceat. De sanctuario DEI; de condendo templo, et de inferenda eidem arca foederis Psalmus in superioribus exposuerat. Iam ex historia sacra et omni antiquitate manifestum est, sanctuarium DEI et sacerdotes ita diuino instituto coniungi, ut separari ac diuelli nequeant; nec cuiquam datam esse, portandae arcae DEI, potestatem, quam sacerdotibus, ac Leuitis. Οὐν ἐπὶ γένχους ἐκοπίζετο, ἀλλ᾽ ὑπὸ τῶν ἱερέων ἐφέρετο, IOSEPHVS obseruat *). Exploratae igitur veritatis est, sacerdotes intelligi, DEO lectos, rite inauguratos et vñctos, munus gerentes, designatum a DEO, distinctum a caeteris, adsertores purioris doctrinae, legis interpretes, rei sacrae ministros, vita moribusque integros, legatos et amicos domini; prouti aliis in locis describuntur, et a viris eruditis omnisque antiquitatis

C 3

peri-

IO. GVIL. BAIER; *de sacerdotio fidel. reg.* Ien. MDCLXXXIX.

que de regali fidel. sacerdotio sententia. Vitebergiae,
MDCCXXVIII.

IO. BEN. CARPOV; *de regali fidel. sacerdotio.* Disput. aca-

Ven. DEYLING; *obj. S. Part. III.*
Cap. XL. super Rom. XII, 1.

QVISTORPIVS; *de spirituali fidel.* N. T. *sacerdotio.* Ro-

** A. I. L. III. C. VI. LVNDIVS.*
S. I. L. III. C. XXVIII. BVX-
TORPIVS in histor. arc. foederis;
alii.

WERNSDORF; *candida solida-*

XXII . GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

peritis multis in libris descripti sunt. Sionis autem sacerdotes vocantur: quia officio suo fungebantur in monte Sionis, quo arca foederis, deducta ex domo Obed Edomi, a Dauid deportata erat; de quo magnus CARPOZOVIVS, pie a nobis colendus, in *adparatu ad antiquitates Sacri Codicis et Gentis Hebraeae historicō Critico*, legendus est.

§. X.

*Quaenam sit SALVS, sacerdotibus
promissa.*

NOS ad illud progredimur, quod est in commentatione nostra praecipuum; ad salutem, quam sacerdotibus Deus promisit. Ipsa autem SALVTIS, *σωτηρίας*, vox, amabile aliquid habet, et votis omnium expetendum. Quare diuino dignam honore SALVTEM iudicarunt Graeci et Romani, qui mentis suae coecitate longe aberrant ab eo, quod veram SALVTEM adfert. Huic dicabant templa; huic festos dies sacrabant; huic nuncupabant vota; aliaque grati animi signa sacra esse volebant *). Vtinam fontem, ex quo omnis salus largissime fluit, non deseruissent, ad quem ipsis quoque aditus patebat. Nos illum etiam in nostro oraculo religiose contempleremur.

Est

*) PLAVTVS, *Captiu. A. III. Sc. III.*
PAVSANIAS, in *Achaic.*
f. L. VII. C. XXI. MACRO-
BIVS; *Saturnal. L. I. C. XVI.*

VOSSIUS, *theol. gentil. L. VII.*
C. VI. et singular. *Difser. GVI-*
LIELM MVS GRAVE.

Est autem Hebraeis יְשֻׁעָה ea felicitas ac salus, quae nos, erexit ex miseriis, incolumes praestat, et omni bonorum genere cumulat. יְשֻׁוּחָה etiam dicunt et יְשֻׁוֹת atque in numero multitudinem indicant. Pluribus in locis auctorem et ducem omnis salutis D E V M, in primis MESSIAM, indicat, per quem amissa salus recuperata omnibus et restituta est. חַנִּינָה יְשֻׁעָה. *DEVS ipse salus mea. Ps. XXVII, 1.* Ecce salus tua venit. Ief. LXII, II. Plura adducere dicta nec tempus patitur, nec instituti ratio. Hoc taciti praeterire nullo modo possumus, factum esse nutu quodam D E I et arbitrio singulari, ut pii in oeconomia vetere homines tam frequenter in hanc vocem incidenter, quae nobis, quorum actas in MESSIAE tempora incidit, nomen saluatoris nostri proprium in primis commendat, et clarissimum indicat, quam pii illis viris forte innotuit, quanta sint, quae voce hac continentur, bona. Exempla ne desint; legantur, et suis aestimantur momentis, dicta: Iacobi: Genes. XXXXIX, 18. Hannae 1 Sam. II, 1. Psaltis XIII, 7. LXX, 5. LXXI, 15. XCVI, 2. CXVIII, 123. 166. 174. Ief. XXXXVIII, 6. In quibus aliisque locis respectum ad nomen I E S V salutiferum haberi, dubium non esse, censet GLASSIVS in immortalis Philologiae suae farae opere *) et illa, N. F. loca confirmant, in quibus saluator hominum σωτήριος et σωτήριον dicitur. v. g. Io. III, 22. Luc. I, 77.

Autor.

*) Lib. I. Tr. I. p. 152.

XXIV GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

A&tor. XIII, 26. XXVIII, 28. Iam si recte monent illi, qui regulas praescribunt sacram interpretandi scripturam, cuilibet litterarum diuinarum voci, in illis praecipue locis, quae DEI beneficia praedicant, tantam tribuendam esse vim et efficaciam, quanta possit; cum singula scripturae verba, θεοπνέωσα concepta, praesumenda sint, sapientissimo DEI consilio selecta esse; ne sine ratione vis illius immixiatur et a diuinis beneficiis aliquid videatur detrahi *): coniectura facile adsequimur, summa nobis omnia in voce γειαὶ et γειτηὶ proponi. Totus enim SALVS est magnus ille mediator ac liberator noster. Salus in nomine, super caetera euecto omnia. Salus in ipsa persona, nomine designata; Salus in doctrina; Salus in opere; Salus in eo, quem sibi propositum habuit, fine; Salus in beneficiis. Via est; veritas est; vita est. Salus est omnibus absoluta numeris, vt, qui cum eo coniunguntur, nulli malo, quod exitium adferat, obnoxii sint; nulloque bono, quod vere salutare est, careant. Diuino enim consilio nobis factus est σοφία, δικαιοσύνη, ἀγιαστός, απολύτεως **)

Salus

*) DANNHAVER; Hermeneut. sacr. p. 405. LOESCHER; Breuiar. theol. exeget. p. 161. Ne hic vane quid positum existimes; vbi DEVUM loqui non vane credis. RAMBACH; instit. hermeneut. sacr. Cap. VI. §. XVI. p. 291. Vis ac significatio vocis non est eneruanda ac restringenda, vbi

Spiritus Sanctus eam non restringit certisque limitibus circumscrivit.

**) Matth. I, 21. Αὐτὸς γάρ τοι εἶπε τὸν ἀμαρτιῶν ἀντταῖ. Οὐδὲν πεπάρημα ἐν ταῖς ἔνσιν ἐν τῷ Χριστῷ. Rom. VIII 1. 1 Cor. I, 30.

Salus denique est perpetua: quia numquam non in eo versatur, ut beatos faciat, qui ad eum accedunt, homines; semper auxilium opemque praestet, et non tantum salutem det, verum etiam seruet, curetque, ne vel temporum iniuria amittatur, vel labefactetur hostium impetu, vel ipsa denique morte finiatur, sed in omni aeternitate firma ac stabilis consistat *). Plura docebit futurum saeculum, quam in hoc intellectus adsequi, et eloqui lingua poterat.

§. XI.

SALVTIS promissae applicatio.

OMNIS autem salus, quantacumque sit, quid profutura nobis est, nisi nostra sit. Non defuit igitur benignissimum NVMEN ea in parte sacerdotibus; sed, accommodaturum etiam se, pollicetur, quae sciat illis saluti fore. Idque verba innuunt: כהני־־־־־ אלביש ישע *induam sacerdotes salute.* Alluditur procul dubio ad vestes sacerdotum apud Hebraeos, quae pretio suo regios fere aequabant et, tamquam thesauri quidam, adserabantur in templo. Videbat enim DEVS, externis rerum diuinarum signis carere

*) Ὅθεν καὶ δύναται σώζειν εἰς τὸ παντελὲς προσεχόμενος διὰντοῦ τῷ Θεῷ. Ebr. VII, 25. ἐγένετο τοῖς ὑπακοουστιν αὐτῷ αἵτιος τοῖς σωτηρίας. Ebr. V, 9.

Non poenitebit cum his, quae breuiter persequuti sumus, conferre CHRYSANDRI dissertationem de forma et emphasi nominis IESV. Rintelii MDCCL.

carere non posse religionem gentis, nimium rebus externis deditae; ideoque adparatum ei pompamque adiecit, qua sensus mouerentur, et maiestas quaedam conciliaretur ministris suis, atque sacrис, quae peragebant. *Οἱ βασιλεῖς εἰς τεμόντα νεῷ τιμὴν περιπάτεται τοῖς ἱερεῦσιν ὁ νόμος, ut PHILO in libro de sacerdotum honoribus obseruat.* Praeterea hoc etiam cultus Leuitici institutum ad mysterium recuperandae salutis pertinet, typorum integumentis inuolutum. Qui enim sacerdotes videbant tam splendide vestitos, acri attentoque animo Messiam, hominibus sponsum, considerare et contemplari iubebantur, qui pulcherrimus esset futurus, et diuinarum virtutum decore ornatus praeditusque infinita gloria. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est in salutis negotio, perspexisse Dauidem, multi eius Psalmi docent; inprimis autem Psalmus XXXXV. testatur, qui splendorem CHRISTI regium ornatumque sacerdotalem depinxit *). Tanto magis autem absconditum erat hoc salutis arcanum, in ornatu sacerdotum latens, hominibus a societate Iudaicae ecclesiae seiunctis, ad quos stulta imitatione et affectatione ridicula ille transiit. Dum enim se ad mores institutaque Iudeorum in sacris suis faciendis componebant; omissa illius, quod est in religione primum, cura, haerebant in externis atque ita exornabant sacerdotes, vt cum ipsis regi-

*) Vid. de hoc Messiae Regis splendore et ornatu sacerdotali LAM-

PII Exercit. VI. et VII. in Psalm.
XXXXV. p. 221. ad 328.

règibus certare de splendore possent *). Caeciores autem sunt illis viri eruditii, qui in hac etiam legis caeremonialis parte nihil diuini vident, et omnia referunt ad stupida Iudaorum ingenia, ad quae D E V M comminiscuntur se hac pompa accommodasse. Hos vellem adcuratius indagare leges, a D E O latas, et clarissima sapientiae diuinae documenta in illis cognoscere a viris summis, editis de vestitu sacerdotum commentariis, in luce posita **). Et quid est, quod humanos testes allego, quorum praeuideo nihil effecturam esse auctoritatem. Testem habemus S P I R I-

D 2

T V M

*) MINVCIVS FELIX sacerdotum honores et purpuram profert, in Octauio p. 79. Edit. Ouzelii, ad quem locum conferenda fuit, Geuerhardi Elmenhorstii nota, APVLEIUS, sacrorum proceres, sacerdotes, candido linteamine iniectos fuisse scribit. Metam. Lib. XI. p. 261. Conf. eius Apolog. p. 310. Testantur idem LVCIANVS, de dea Syr. p. 679. PLVTARCHVS, de Iside et Osiride p. 352. Multa etiam eam in rem collegit scriptor rarioris libri A. Clu Isoxxxv. 4. editi, cuius titulus: Indice du Cabinet de Samuel Veyrel, avec un recueil de quelques antiquités de Xaintes et Observations sur diuerses Medailles; ex quo multa nobis exhibuit ZORNIUS, in bibliothec.

antiquar. p. 531. sq. Vellemus christianos in uestiis sacerdotibus abstinuisse ab imitatione Iudaorum, et luxui non reliquisse locum, reprimendo conciliorum decretis.

**) Longa est eorum series, quam recenset FABRICIVS, Biblioth. antiquar. Cap. XVIII. p. 599. Ex Iudeorum magistris in eo studio elaboravit MAIMONIDES, de apparatus templi eiusque ministris, Cap. VIII. Latine conuersus in Opusculis TH. CRENII, Fasic. VI. p. 141. sq. Sed in umbris illis veritatis lucem, velamine Moses impeditus, non perspexit. Saniora tradunt IO. HIER. SOPRANIS digressio de re uestiaria Hebraeorum, annexa Commenta-

TVM D E I, non fallentibus indiciis declarantem in multis N. F. locis, vestes sacerdotum symbola excellentissimae esse salutis, per C H R I S T V M reparatae, cuius sunt participes, qui vera cum mediatore suo fide vniuersitatem, eumque studiose imitantur. Huc referenda sunt dicta, in quibus C H R I S T I ecclesia, S A L V A T O R I adhaerens, ζυδόζος, μὴ ἔχουσα σπίλον, εὐτίδα, ἢ τι τῶν τείνων ἀλλ' οὐδια
κού ἀμφορος esse dicitur. Ephef. V, 27. Effata, in quibus sancti λευκὰ ἱμάτια ἔχεν, et ἐνθέντες τὸν χριστὸν, perhibentur. Gal. III, 27. Rom. XIII, 14. Apoc. III, 18. Non ignoramus viris quibusdam eruditis eam placuisse sententiam, Paulum eo in primis loco, quo Galatas memores esse vult, quod C H R I S T V M induerint, ad ritus hominum respexisse, deorum cultui deditorum, quo vestes Numinum, opinionis errore fictorum, induere solebant religionis caussa. Qui triumphum agebant, Iouis Capitolini vestibus induiti, curru triumphali vehebantur. Qui sacris initia bantur Isidis, vestem Isidis gerebant. Idem in sacris Mithriacis vsu venit. Qui iurabant, Cereris indeuebant vestem, ut in hoc decore maior iuris iurandi formulae conciliaretur religio. Imperatores in togis deorum consecrabantur. Ipsis etiam homi-

rio in Dauidis historiam. Lugd.
Batau. MDC XLIII. B R A V N I I
Lib. II. de vestitu sacerdotum apud
Hebraeos. Amstelodam. MDCCI.
Vid. imprimis Lib. II. Cap. XXV.
de pretio sacerotalium vestium.

CARPZOVII adparatus, supra
laudatus. S A V B E R T I Tr. de sacerdotibus Iudeorum. I V R I E V,
histoire des dogm. et des cultes de
l'Eglise; Part. II. C. IV. p. 270. sq.

hominibus facinorosis, damnatis ad bestias, deorum vestes concessas esse, easque christianos, confessores veritatis, ad supplicium ductos, repudiasse, relatum legimus *). Quis autem credit sanctissimo viro, ad Iudeos praecipue scribenti, parum gnaros horum rituum, haec in mentem venisse, eumque summis religionis mysteriis mortiferam accommodasse superstitionem. Neque calculum merentur, qui albas hic vestes se credunt inuenisse, initiatis sacro lauacro, tamquam symbolum acceptae in baptismo gratiae et lucis, datas, quos λαμπροφρεῖν christiani scriptores dicunt. In re enim tam incerta ac dubia nemo definiat facile, Apostolorum tempore ritum illum iam in ecclesia christiana receptum fuisse, cum Paullus ad Galatas et Romanos scriberet. Et cur in tanta subsidiorum domesticorum ac pro-

D 3

prior

*) Ad Paullina verba Galat. III, 27. explicanda multi addixerunt operam. STEPH. LE MOYNE in var. sacr. p. 390. 392. ea, adductis in medium ritibus, illustrat. THEODOR. HASAEVS in bibl. Brem. Cl. IV. Fasicc. VI. p. 1007. sqq. respici in illis putat ad mandatum diuinum, quo Moses lustrare populum, eique praecepere iubetur, ut omnes lauent vestimenta sua. Exod. XIX, 10. 14. Alia adfert IO. D' OVTREIN in spicilegio de induitione CHRISTI in eadem Bibliotheca Cl. IV.

Fasicc. II. p. 360. sq. Alia LAMPIVS Exercitat. VIII. in Psalm. XXXXV. p. 360. sq. vt anceps liberandi cura videatur, cui adfentias. Nos venerabilem Ephorum nostrum sequimur ducem, quem constat Paullina loca ex re vestiaria sacerdotum apud Hebreos, et inauguratione eorum illustrasse v. Obscrv. S. P. III. Cap. XXXXII. Suffragatur ei venerab. WALCHIVS, in diff. de Baptizato CHRISTVM induente §. XXIII. p. 40. sq.

priorum copia sectemur aliena. Idem Spiritus, cuius adflatu edita sunt oracula V. T. legatis CHRISTI praerat, eisque suppeditabat res et verba. Utuntur ergo hi saepe formulis, ex illis repetitis, et ad ritus, in ecclesia Iudaica visitatos, respiciunt. Dubium non est, quin idem ficerint in illis locis, in quibus induere CHRISTVM dicimur. Nihil enim ea formula significatur aliud, quam transire a malo miseroque viuendi genere, quod cum sordidarum vestium squalore sacrae litterae comparant, ad statum gratiae, bonorum que a CHRISTO partorum, participem fieri; peccatorum venia, iustitia, pace, et omnibus SPIR. S. beneficiis in regno gratiae frui. Ex quo, quid sit, quod sacerdotibus promittitur, iudicari facile potest. Salutem induunt, tamquam vestem; dum fide saluifica thesauros gratiae omnes sibi accommodant, et per eam cum DEO conciliantur, atque ita cum CHRISTO vniuntur, ut in CHRISTO toti sint. Salus eos vindiquaque, non secus, ac vestis aliqua corpus, circumdat. Omnem eorum nuditatem, peccata omnia, vitiosae naturae infirmitatem et claudicationes in officio, abdit atque contegit. Vestis ut frigoris vim et aëris molestias propulsat: sic haec salus, tributa sacerdotibus, eos aduersus odia, iniurias, acerbitudinem, reprehensiones intempestivas, et quidquid illis intentatur mali, mutnit. Veste sacerdotum Leuiticorum, siue materiam, siue pulcherrimas figuras, mirabili arte contextas, siue colores et ornatum consideres, maximi pretii, quod obseruauimus

mus, erant, et illis datae sunt **לכבוד וلتפארה** in *gloriam*
et honorem. Exod. XXVIII, 2. Multo autem pretiosiores
 sunt salutis vestes. Cum enim ita sint comparatae, vt
 omnem auferant maculam, et iustitia sacerdotum penitus in-
 uoluant, vt tota iuris sacerdotum fiat: cum multiplici ge-
 nere donorum **SPIRITVS SANCTI** instructae sint: quid
 est, quod pulcruis, quod praestantius, quod splendidius
 illis dici possit. Bene CLEMENS ALEXANDRINVS iudicat:
 Καίλλος ἀριστον, πρώτον μὲν τὸ ψυχικὸν, ὡς πολλάκις ἐπεσημηνέμην
 ὅτι ἂν ἢ κενοσμημένη ψυχὴ αὐγίῳ πνεύματι, οὐχὶ τοῖς ἐκ τούτου ἐμπνεο-
 μένη φαιδρύμασιν, δικαιοσύνῃ, Φρονήσει, ἀνδρείᾳ, σωφροσύνῃ, Φιλαγα-
 θίᾳ τε, καὶ αἰσθῆσιν ὃς ὑπὲν ἐνανθέσεον χρῆματα ἔωραται πάποτε.^{*)})
 Sanctissima hac veste nitentes, **CHRISTVM** expri-
 muntr in his terris et repraesentant, quem stilo Paullino, tam-
 quam perfectissimum optimumque, quod ad imitandum
 proponi potest, exemplar, induerant. Vestigia **CHRISTI**
 premunt. Idem in illis, qui erat in **CHRISTO**, adse-
 etus; ad illius se vitam et virtutes conformant. Oecono-
 miae diuinae curam summa fide gerunt, et dona eius
 dispensant. Religionem veram a falsa defendunt, et
 doctrinae caelestis tradendae latiusque propagandae
 ministri sunt. Tali ornati veste, non possunt non
 placere **DEO**: cui qui probatur; expleta cumulataque
 habet

*) *Paedagog. Lib. III. Cap. XI.*

habet omnia, quae animus, bene informatus, ad salutem suam desiderat.

§. XII.

Praerogatiua Sacerdotum N.F.

VNA quidem est, quae in vtroque foedere propontitur, salus; vnuis eiusdem usus; vna consequendi eam via ac ratio; eadem vtriusque bona; eadem omnium, qui illis fruuntur, dignitas. Nimis ergo subtile斯 esse videntur, qui, Dauidem sacerdotibus V. T. tantum צְדָקַת*injustiam* concedere; sacerdotio autem N. T. quod, christiano more, ministerium ecclesiasticum dicimus, עֲשֵׂה*salutem* tribuere, censem *). Qui quidem, si id obtainere volunt, ut, huic vberiorem donorum mensuram, illustrioremque gradum dignitatis et praestantiae, liberrima DEI dispensatione, assignatum esse, statuamus; non habent nos repugnantes. Tanto enim luculentior est ecclesiae christianaе praerogatiua, qua Iudaicae excellit; quanto praestantiora sunt N.F. promissa, et quanto certius est, corpus umbra, complementum typis, ministerium spiritus ac vitae ministerio lit-

terae

*) Hoc nimirum discriben esse putauit NIC. LYRA inter sacerdotes V. et N. T. ut illi *injustia* tantum induerentur; hi vestiantur *salute*. Non multum ab ea sententia discessit LVD. CRESOL-

LIVS, in rariore libro, cui MYSTAGOGI titulum praeposuit se de disciplina sacrorum hominum Paris. M DC XXVIII. edito; adducto a SELENIUS. meditat. exeget. P.I. Cap. XVIII, p. 739.

terae ac mortis anteire. Quantam igitur cumque prae se ferret dignitatem Leuiticum sacerdotium: comparari tamen cum ministerio verbi N.F. neque scientiae salutaris luce, neque multiplici donorum aliorum genere, neque ipsa operis agendi ratione, neque effectis, quae SPIRITVS SANCTI beneficiis tenentur, neque honore ac dignitate potest. Multis hoc argumentis confirmant, qui de ecclesiae christianaे praerogatiua, dignitate et excellētia, quam prae Iudaica habet, exposuerunt, inter quos L V D. C A P E L L V S in libro: *שְׁמַע יִהְוָה* Sanctitas domini inscripto, multa in medium attulit, accurato iudicio ponderanda; quae, ne longiores simus, quam necesse est, omittimus. Dux ea in re, caeteris anteponendus omnibus, quem sine labendi periculo sequamur, Paullus est: Atque is in epistolis ad Corinthios, ad Galatas, in primis vero in ea, quam ad Hebreaos scripsit, hanc praerogatiuam egregie demonstrauit, et aduersus eos vindicauit, qui, nimium gloriae V. T. tribuentes, magnopere ab honore ac dignitate N.F. detrahebant.

§. XIII.

Gaudium Sanctorum ex salute sacerdotum.

A SACERDOTIBVS salus tam optabilis ad sanctoros ita redundat; vt ex ea incredibilem capiant voluptatem et oblationem. Non sibi solum; sed ecclesiae diuites sunt

maxime

*) v. CAPELLI *Not. Critic.* a p. 213. ad p. 242.

XXXIV. GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

maxime: seipsoſ ſaluant, et auditores *). Hoc ſuaui praedictione idem Dauides commemorat: וְחִסְךָ רַנֵּן יְהוָה. Sancti eius gaudendo gaudebunt. Scite admodum ac ſapienter conneſtit cum ſuperioribus haec verba ſcriptor per copulandi particulam, vt, quod fit D E I propositum in ſalute ſacerdotum, intelligamus; nimirum ſalus gregis C H R I S T I, pontificis ſummi, ſanguine redempti. Quam licet pro summa benignitate ſua D E V S ferio velit omnes percipere; non poſſunt tamen, niſi חִסְרֵי, de uſura eius gaudere. Sunt autem חִסְרֵי, qui a polluto hominum perditorum coetu ſeiuneti et adſcripti ciuitati C H R I S T I ſunt: quos ſanctissimus D E V S gratia ſua in C H R I S T O compleſtitur, atque, vt ſuos, fouet, diligit, tuetur; quiue, auſti diuinis beneficiis, ſacerdotum opera ad pietatem, ſanctitatem, abſtentiam, aequitatem ac beneficentiam formantur, his ipſis quoque virtutibus utuntur tamquam praefidiis et instrumentis ad amplificandam D E I gloriam et ecclesiae ſalutem. Hanc nimirum imaginem ſanctorum hominum effingit rex inter vates illuſtris multis in locis, quae, qui ſacra legunt, reperient facile, et, quantum diſtet vera ſanctitas a ſimulacro ſanctitatis ac virtutis, intelligent. Communis vero eſt et peruagata multorum animis opinio, miſeros eſſe ſanctos et infelices. Sed conuellit erroris luſibrium Dauides, et ſanctis bona tribuit, quae ipta nobis natura

*) 1 Tim. III, 16.

natura primum commendasse videtur, gaudium, voluptatem ac delectationem: cuius quo quis plus habet; eo beatior merito putatur. Duplex autem gaudii illius vis est: vt depellat molestiam, et sensum motumque ex bono percepto iucundum adferat. Caeve vero gaudium hic quae ras sapientum de Zenonis portici, qui splendide philosophantur, non desinere gaudere bonum, nec verti in contrarium; illudque gaudium, nisi sapienti, non contingere: *Fac hoc ante omnia: disce gaudere. Nolo tibi umquam de esse laetitiam. Volo, illam domini tibi nasci. Nasceret; si modo intra te ipsum sit. Caeterae hilaritates non implent per etus; sed frontem remittunt. Miki crede; res severa est gaudium. Caetera* *). Tantum enim sanctorum hominum gaudium a gaudio Stoicorum sapientum distat, quantum magnifica de se suaque virtute opinio cum stupore animi, a rebus externis omnibus alienati, coniuncta, ab hominum, in CHRISTO eiusque satisfactione suauiter adquiescentium, et in amicitia DEI omne praesidium ponentium, virtute distat. Itaque gaudium illud, si cum ecclesiae gaudio conferatur, leue est, inconstans, futile, adparens, imaginarium, nullum est. In hoc nihil simulati; non hic inanis ymbra; non sine re nomen; nihil, quod non, nisi ad praestinguendam splendore quodam imperitorum mentis aciem, valeat. Verum est, efficax, salutare gaudium.

E 2

Ex

*) SENECA, epist. XXIII. XXVII.
LVIII. XCVIII. cons. celeb. GESNERI Opuscul. T. V.
p. 127. sq.

XXXVI GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

Ex puro limpidoque fonte manat; ex firma nimirum in
CHRISTVM fide; ex coniunctione cum D E O; ex pro-
spero rei diuinae, quam sacerdotes tractant, successu; ex
verbo, ab illis adnuntiato, quod animum, tamquam dul-
cissimum epulum, reficit ac recreat; ex ecclesiae s A L-
VATORIS incrementis; ex optima conscientia, quae
culpa nulla pallescit; ex futuri aequi bonis, quorum praef-
fessionem sancti habent. O beatam dulcemque volupta-
tem, qua qui imbutum habet animum, bono fruitur, quod
nullius satis aestimare mens, nec lingua praedicare satis potest.
Magnitudinem gaudii, quod αγαλλίασσι Graeci dicunt*) SPI-
RITVS s. repetitione eiusdem vocis insinuat: חסידות רְנָנָנוּ exultando exultabunt**): perinde ac apud Esaiam ec-
clesia de ornatu suo gloriatur שׁוֹשָׁנָה gaudendo gaudabo.

§. XIV.

Accommodatio dictorum.

S V M M V M esset nefas, et criminis loco habendum,
nisi nos quoque bona, tam ampla, quae nobis in nouo,
quod vocant, testamento, sanguine C H R I S T I confir-
mato obsignatoque impertiuntur, grata mente recolere-
mus, et indefessa eorum meditatione excitaremur ad gratiam
fauoremque N V M I N I S incredibilem praedicandum, no-
bisque

*) V. Loca N. F. Luc. I, 47. blith. Brem. Cl. II. fasc. I.
Io. VIII, 56. et conf. de voce HEYMANNVM in bi- p. 212.
**) Eſ LXI, 10.

bisque insidentem ignauiam ac torporem excutiendum. Cum enim patres V.F. sanctissimique vates felicitatem nostram, quasi ex specula prospicientes, summo exultauerint gaudio, vehementique se eorum, tamquam deliciarum suarum, desiderio, flagrare testificati sint: quantae impietatis, quantique periculi putamus esse, in minimis habere meliora illa bona nobis diuinitus concessa. Certe his qui non delectatur, indignum se declarat, cui nullum tantorum beneficiorum conferatur, et sciens volensque in perniciem ruit, non necessariam; quam ab omnibus longissime abesse cupimus, qui nostrae fidei commissi sunt.

§. XV.

Prouida DEI cura in sacerdotio conseruando et tuenda ecclesia.

SED non cupimus tantum meliora, verum etiam speramus, sumta materia spei a prouida DEI cura, quam adhuc adfletae turbataeque ecclesiae suae aetate nostra, rerum sacrarum incuriosa, et his temporibus, infestis virtuti, praeesse compertum exploratumque habemus. Nobiscum adhuc facit DEI NVMEN. Religionem promisorum, qua se ipsum ad praestandum nobis auxilium addixit, firma fide ac veritate seruat. Sacro coetu prospicit, eumque tuetur inter tot illorum odia et iniurias, qui nihil non audent, ut res omnis sacra penitus extinguatur. Caelestis disciplinae praesidia, quibus omnis hominum sa-

XXXVIII GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

lus, restituta in integrum; continetur, stat adhuc integra. Docetur adhuc Euangelium, optatissimum DEI munus, magno studio, et omnia salutis instrumenta ac subsidia largissime subministrantur. Qua in re cum opera vtratur eorum, quos ministros constituit et potestate docendi dispensandi que gratiae suae pignora instruxit; non desinit eos salute vestire, vt aeternae sapientiae thesauros aperire, capita salutaris fidei sine labe proponere, prauas pestiferasque opiniones refellere, commendare virtutes, vitia castigare, erigere adflictos, erectosque confirmare, et quae sancte integreque docuerunt, vitae exemplo comprobare possint. Quod quantum sit DEI beneficium prouidaeque illius in conseruanda et amplificanda ecclesia curae documentum, non intelligit quidem ingratum saeculum, ordini nostro inuisum; res ipsa tamen loquitur, et omnes perspiciunt, in quibus aliquid est sapientiae. Communis enim omnium salus et rei publicae ipsius commoda ab eo pendent momento, vt doctrina, quam accepimus, sincera et incorrupta conseruetur; vt, qui, suae seruientes libidini, resque nouas moliti, verbi caelo deuocati, auctoritatem lassunt, aeternam veritatem falsis opinionibus labefactare nequeant; vt commentitiae periculoseque diuinae mentis interpretationes vitentur; vt vitiosi mores emendentur; vt excitentur tardiac segnes; vt dediti rebus inanibus ac perituriis ducantur ad maiores ac sempiternas; vt variis perturbati casibus diuina consolatione permulceantur; vt ipsi morien-

morientes, bene praeparati alacresque, dimittantur ad meliorem vitam, tranquillitate beatissima felicem. Haec autem et plura alia, diuino munere ac dono praefstant, quos, more in ecclesia inde a saeculo secundo P. R. S. recepto, nec reprehendendo prorsus, sacerdotes nominamus. Atque ut hi sustinere possint opus tantae molis ac laboris, a veste illa salutis, diuinitus promissa, habent. Haec sapientiam adfert; haec animi robur; haec prudentiam in rebus agendis; haec patientiam laborum; haec sanctitatem vitae, haec prosperos inter omnes difficultates operis successus; haec constantiam; haec victoriam et omnia largitur, quae ad propositum, aedificandi gregem DEI, finem pertinent et frugifera sunt sacrae ciuitati.

§ XVI.

Bona ex senio sacerdotum in rem sacram redundantia.

TANTA ornati salute sacerdotes, quo diutius ecclesiae praesunt, et rem sacram omnem summa fide curant; eo maiorem gaudendi materiam non ingrati diuinorum benefiorum aestimatores habent. Si enim in omni aetate prouectiore hominum, bene de republica meritorum, aliquid est, quod excitare magnos viros ad scribendum libros integros de bono senectutis posset; quod a GABRIELE PALAEOTO, DAN. TOSSANO, ANDR. RI-

VETO



XXXX GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

VE T O aliisque factum esse constat *); et si eorum mors, etiam in supremo aetatis humanae tempore, nihilo minus immatura merito iudicatur: quid de prouida sacerdotum ac theologorum senectute dicamus, qui non fabulam aetatis peregerunt; non ignavia et inertia tempus consumserunt; sed per omnem vitam pro viribus, et quantum potuerant, nisi sunt, ne illum officii sanctissimi munus non exquerentur. Ut enim quisque eorum aetate antecedit; ita ratione, consilio et auctoritate excellit maxime grauique opere suo melius perfungi potest **). Scilicet non longum illud viuendi spatium; non cani; non rugae senibus theologi ac sacerdotibus auctoritatem et praerogatiuam, ac decora haec conciliant; sed gratia, quam, usque ad extreum vitae, ducem sequuntur ad suam aliorumque salutem procurandam. Fuit, qui illam, de qua exposuimus, sacerdotum salutem ad externa bona referret, eamque explicaret de admirabili sacerdotum in omni vitae discrimine conseruatione. Cui quamuis nequeamus suffragari,

per-

*) GABR. PALAEOTVS, *de bono senectutis*. Antwerp. MDXCVIII.
DAN. TOSSANVS, *de senectute libr. III.* Heidelb. MDXCVIII.
AND. RIVETVS *de la bonne Vie elleſſe*. Ulrai. MDCLII. BONIF. STOELZLIN *von den verborgenen Gutthaten des Alters*. Vlm. MDCLXX.

**) D. FRANCISCVS FABRICIVS,
de prouida christiani, praesertim theologi, senectute. Lugduni Batavor. MDCCXXXVII. et Optimi BOERNERI nostri *Imago fortunatissimi Senis, theologi in expectatione* quiss. Io. Cypriani; *Orat. et recitation. p. 184. f.*

persuasum tamen nobis habemus, tantam esse meriti
C H R I S T I praestantiam et efficacitatem, vt, quidquid
nobis boni prouida **D E I** cura, res nostras gubernante, in
vita contingit, ex hoc fonte profiscatur. Liceat hoc te-
stimonio meritissimi de ecclesia theologi, **F O E R T S C H I I**
confirmare *). Meritum **CHRISTI** non in gubernatione
solum regni naturae creaturarum operationes dirigit, vt il-
lae amica opera homini opem ferant, eiusque felicitatem ad-
augeant; sed ipsas etiam hominum actiones finesque ita dispo-
nit, vt faustus ac felix exitus eos comitetur, omnique bono-
rum genere mortales cumulentur. Post pauca: *Apud senes*
meritum **CHRISTI** operatur: vitae tranquillitatem exhiben-
do, molestias levando, vires animi corporisque corroborando.
Caetera. Dum igitur **CHRISTO**, saluatori, adhaerent sacer-
dotes eiusque et scita et dogmata sequuntur; cum **D E O**
agunt omnia et cum **D E O**, vt ait Octavius apud **M I N V-**
C I V M F E L I C E M, viuunt. Est autem fidei in **C H R I-**
S T V M ea vis atque virtus, vt, excusso inerti torpore, sem-
per inueniatur in operibus eximiis occupata; vt citius a sole
splendorem et radios, quam a fide haud infucata ea seiu-
gere possit. Quo igitur diutius vitae spatium prorogant sa-
cerdotes; eo magis ipsa exercitatione et vsu inclinatur non
tantum eorum voluntas ad res, coetui **C H R I S T I** vtiles,
fusciendas, sed nerui quoque intenduntur, vt instituta
in honorem **D E I** perficiant. Excitatur praeterea sollers
illa

*) In diff. de efficacia meriti **CHRI-**
STI regnique gratiae in regno
potentiae declarata; *scđt. II.*
§. XXI. p. 70.

illa senum theologorum diligentia ipso salutis, per CHRISTVM donatae, et perfruendae in beata aeternitate, sensu, atque perceptorum in omni vita beneficiorum grata memoria, ex qua desiderium oritur ad extremum aetatis terminum ea praestandi omnia, quae DEO probentur et coetui illius profutura sint. Quemadmodum autem qui in actione perpetuo versantur, ipsa experientia magistra, proficiunt quotidie: ita fieri non potest, quin theologi veterani, qui tot gratiae actiones in se ipsis fenserunt, et obseruarunt in aliis, egregiam sibi comparent diuinarum rerum experientiam. Non enim otiosi sunt eorum spectatores, quae prouida DEI sapientia, ad vniuersi huius et singulorum hominum salutem procurandam semper intenta, fiunt, sed vigilis habent oculum; studiose omnia adnotant; mandant memoriae; referunt in tabulas, ut ne aliquid elabatur animo, atque in operum diuinorum consideratione suauissimas delicias inueniunt. Quo autem magis in hac re proficiunt: eo magis confirmantur in fide; eo familiarius DEO vtuntur; et quo arctior est familiaritas cum DEO; eo utilior et sermo et vita euadit. Bene haec connectit CLEMENTS ALEXANDRINVS.

Οἰαὶ αἱ Εὐλόγιαι, τοῖοι νοῦς λόγοι ἐποῖοι εἰ λόγοι, τοῖα δὲ πράξεις νοῦς ἐποῖα τὰ ἔργα, τοῖουτος ὁ βίος. Χειρὸς ὁ σύμπας καθεώπων βίος, τῶν χειρὶν ἐγκατότων.

Qualia sunt consilia; tales sunt sermones. Qualia sunt sermones; tales actiones. Qualia sunt opera; talis vita. Utiles autem est vita omnium, qui CHRISTVM cognoverunt. Addimus nos: Si bona et utiles est vita eorum, qui CHRISTVM norunt: multo utilior sacerdotum et theologorum,

qui

qui disciplinam CHRISTI propagarunt, vita, longius prouecta, sit necesse est *). Non sapisimus exemplo populorum bene moratorum omnium, apud quos diuinus fere senibus honor tributus est, quiue imprimis sacerdotes suos, recteque viuendi doctores, quos adpellabant *Iēsus*, *Geo-*
ρράστους, *ἀλυμπίους*, *ἱερούς*, *δαιμονίους*, confessos senectute, honoratos et quietos esse voluerunt. Non vtemur praefisi-
diis legum, quae summa *senibus priuilegia* concederunt, a
grauissimis ICris descripta et vindicata. Non laudabimus
exquisitam veteris ecclesiae curam in alendis fouendisque
coetus christiani antistitibus, qui multos annos in re sacra
procuranda compleuerant, et quorum magna extabant in
eam merita. Potiora nobis sunt promissa DEI veracissimi,
re ipsa, et multorum comprobata exemplis, in illustri positis,
quae, tamquam monimenta gratiae diuinae, eiusque pro
ecclesia sua curae magno, ut a multis factum est, studio
colligere **), eo magis iudicamus vtile esse, quo minus illi
in reprehensionem virorum eruditiorum iustum incurrere

F 2

um-

*) DVARENVS, *de S. ecclef. minist.*
L. III. C. V. BOEHMER *in insti-*
tut. iur. can. *L. III. Tit. VI.*
§. I. sq.

**) BLVMIVS, *in Iubilaco theologo-*
rum s. de theologis, qui per X. lu-
sfra publico officio funeti sunt,
comment. philologico theologica
MDCCX edita. GEORG. HEINR.
GÖTTLIVS, de theologo semisac-
culari schediasma. IO. OLEARIO,

theologo meritissimo, Iubilaem
suum MDCCVIII. Lipsiae ce-
lebranti, dicatum; Lubec.
MDCCVIII. EIVSDEM *Christi-*
priesterliche Iubelfreude ad Eman.
Constant. Lehmannum. *Monu-*
mentum Knautianum, Dresenae
MDCCXVI. editum. Ut GROS-
SII et aliorum libros non adda-
mus. Exempla adducere non
patitur angustia commentationis.

XXXXIV GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

vmquam meminimus, qui de senio philosophorum exposuerunt *).

§. XVII.

Accommodatio argumenti propositi ad gratulandi officium.

Nos summum caelestis gratiae munus Lipsiae, immo
vniuersae, quae puriora sacra sequitur, ecclesiae, diuinitus tributum, nostramque fortunam agnoscimus. Post de-
cursos enim quinquaginta in sacro ministerio annos, et post
tot munerum temporumque difficultates superatas, videmus
TE VIR MAGNIFICE SACRORVM LIPSIENSIVM ANTISTES GRAVISSIME EPHORE
*summa pietate colende, et inter praecipua saeculi nostri orna-
menta numerande, MAGNUM DIEM quinquaginta annis im-
ponere, et Iubilaeum TVVM ritu sancto celebrare **).*
Respicimus spatium praeteriti temporis et recordamur,
raro beneficio DEI id TIBI contingere, quod post d. 10.
PFEFFINGERVM, Bauarum, sacrorum Lipsiensium praesu-
lem, *** nulli datum est eorum, quos in munere sequutus es.
Plerique, si POLYCARPV MYSERVM, ELIAM SIGIS-
MVND. REINHARDVM et GEORG. WEINRICHIVM ex-
cipias,

*) IAC. THOMASIVS, *de felici-
tate litteratorum* p. 156. oratio-
num, Lipsiae MDCLXXXIII.
editarum. MOEBIVS, *de grandae-
uis*. In LVCIANI scriptis opu-
sculum exstat: *Mangóssor* T. III.
p. 208. edit. Reitzianaæ.

**) Ita Iulius Agricola apud Taciti-
um: *Imponite quinquaginta an-
nis magnum diem; de vita Agri-
cola*, Cap. XXXIII.
***) *Geschichts - Calender*, oder die
*Lebensbeschreibung der Leipziger
Superintendenten* p. 20.

cipias, post annum quinquagesimum, ingrauescente aetate,
ad eum gradum, quem inde ab anno huius saeculi *primo et
vicefimo* in hac vrbe ornasti, euecti sunt. *) **CHRISTIANVS
LANGIVS** sexagesimum aetatis annum egressus, et **WOLFG.
HARDERV** septuagenario proximus, tantum onus sibi
passi sunt imponi. **TV** in media aetate, et in medio hono-
rum **TVORVM** cursu, quos *Plauiae, Pegauii et Islebiae* mul-
tis magnisque in ecclesiam meritis consequutus eras, cum de
laudibus **TVIS** consentiens omnium fama esset, arduo mu-
neri praeficeris. Excipiunt **TE** summo gaudio boni omnes.
Agnoscunt **TE** administrationi rerum summarum, quae sa-
crorum huius vrbis praefulsi commissae sunt fidei, plane ac-
commodatum, regere alios consilio et emendare iudicio
posse, diuinoque nobis munere datum esse. Confluent
ad **TE** audiendum. Vident **TE** virtutes a diuersis, qui
antececerunt in munere, sumtas, collegisse et miscuisse.
Suspiciunt quaesitam in omni genere scientiarum doctrinam.
Mouentur eloquentiae vi, quae repugnantes quoque ducat
et impellat; nec recedunt vñquam, nisi meliores. Verentur
consideratum exactissimumque virum, strenuum anti-
quae fidei, et moris, a piis maioribus traditi, custodem, in
summo honore ab omni fastu abhorrentem, atque in offi-
cio suo, vt maximo, ita molestissimo, multum seueritatis
reuerenda quidem, sed non reformidandae, habentem.
Cura et cogitatio **TV** omnis de honore **DEI** et disciplina
religionis, de salute hominum, de coetu diuino, eiusque
incrementis et de **CHRISTI** ciuitate eiusque propaga-
tione erat. In ea numquam **TE** vidimus tardum ac

F 3

segnem,

*) *Lebensbeschreibung der Leipziger Superintendenten p. 113.*

XXXXVI GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE

segnem, numquam remissum. Numquam TE inuenimus simulationem induere, et astute callideque agere; numquam aliquid vel gratiae, vel odio dare; numquam improborum hominum offensionem pertimescere et metuere periculum; numquam insidiis cuiquam esse molestum. Pes simam illam, quiduis statuendi, libidinem, saeculi nostri seabiem, ferre non potes; sed grauem TE nouarum opinorum aduersarium exhibes, quae, tametsi speciem eruditionis habeant, reuera tamen iñanes sunt et a veritate auelant, turbantque rem sacram et confundunt, ac pestem coetui diuino adferunt. In hostium veritatis malitia detegenda et fortissime depellendis eorum iniuriis summam adhibuisti sapientiam et magnitudinem animi. Pietatem docuisti, non quae in labris; sed in mente insideret; non quae colorem et speciem, sed quae succum haberet et sanguinem, ac neruis firmata esset. Saeculi malis opposuisti remedia, ne serperent latius, nihil non agens, vt eluuionem anteuerteres, quae perniciem minaretur. In consiliis et deliberationibus sacris prudentiam non ostentas superbe, sed adhibes, longo vsu comparatam. Omnibus ad TE, tot tantisque distentum negotis virum, facilis aditus patet, qui in casibus dubiis sententiam crebro solliciteque perquirunt. Excipiuntur dicta, tamquam oracula, et demittuntur in animum. Litium fugitans, osorque simultatum et hostis, fratres, TVAE traditos curae, mutuo caritatis nexu et sincera voluntatum conspiratione coniungere semper studuisti. Si princeps inter scriptores locus illis debetur, qui, quos erudiunt scribendo, eosdem etiam delectant; multis magnisque libris praferendae sunt selectae varii generis obseruationes TVAE, in quibus, quae multiplex ac diuturna lectio et meditatio sacrorum

crorum oraculorum **TIBI** suggestit, exhibes, nitida dictione
vestita. Quantum in illis doctrinae: quantum venustae anti-
quitatis: quantum utilitatis coniunctae cum voluptate: quan-
tum pro re sacra contentionis. Hac ergo via processisti et
summa grauitate ac constantia progressus es ad eum gra-
dum, qui in rebus humanis summus est, adiutus caelesti
ope, vestitus salute diuina, et confirmatus robore virtutis
CHRISTI. Neque iam in graui senectute arduas curas se-
ponis, aut milites sequeris, qui inter laborem et molestias
fatiscent, ac missione petunt, eamque nisi impetrant, di-
labuntur a signis; sed ultimum etiam vitae tempus grauissi-
mis laboribus impendis, studiumque et cogitationem eo
convertis, ut uno vitae ac doctrinae tenore conficias cur-
sum, et inter medios labores **TE** in portum referas. Hac
igitur salute **TVA** merito omnes gaudent, **TIBIQUE** gra-
tulantur beneficium, quod non, nisi paucissimis, conti-
git. Nos in primis hoc adficiunt gaudio, qui **TE** patrem
ordinisque nostri decus et praesidium veneramus, et pro tot
bonis, colligatis inter se et implicatis, quibus **TECVM** nos
etiam fruimur, salutis nostrae auctori gratias agimus maxi-
mas, totoque animo et consociatis studiis **DEVM** precamur,
ut in huius possessione felicitatis per multos adhuc annos
maneas, sustineasque ac superes senectutis incommoda.
Quamuis enim grande sit et gaudium et solatium, quod
tantum bonum tam diu tenuimus: sollicitos tamen tanto
magis facit amittendi metus ac periculum, et fruendo com-
modis carendi dolor crescit. Tu ergo, **DEVS** immortalis,
hanc nostro salutem conserua, eumque inter vitae et mu-
nerum molestias, difficillimo hoc tempore, solare. Stet
diu adhuc bonum illud in ecclesia tua signum et luceat rei
chri-

XXXXVIII GAVDIVM SANCTORVM EX SALVTE ETC.

christianae. Vigeat veritatis tuae doctor veteranus, quem coetui tuo dedisti, viresque subinde nouas colligat, vt adesse nobis, etiam grandis natu, consiliis, exemplo precibusque suis possit. Suppedita quotidie curarum et senechtutis leuamentum, vt plenus animi iter suum decurrat et destinatam palmam, quam sancta cogitatione dudum complexus est, tandem consequatur, et, candida induitus veste, triumphos agat nulla obliuione delendos. Patere nos super caetera hoc etiam amoris tui pignus habere, vt CARPOZIVM, quem nuper eodem beneficio adfecisti, saluum adhuc diu et incolumem esse comperiamus. Tuere causam tuam, ab eodem summa virtute adsertam. Prospice tuo coetui, et nos quoque, seruos tuos, salute induitos, tuere; vt, quicquid vitae nostrae superesse volueris, totum ad nominis tui gloriam pro virili augendam, pio sanctoque animo a nobis conferatur. Ut diu viuamus, in hac temporum iniquitate, non est summum votorum nostrorum. Ut bene viuamus; id vero toto pectoris affectu optamus, auemus, vouemus *). Scribebamus Lipsiae, ad d. VI. Ianuarii A. R. S. clo ICCCCLV.

*) CASAVBONVS, epist. LXIII. p. 36.
edit. Roterodamenſ. Mihij tam
diu vita erit vitalis atque incun-
da, quam diu, conserue aliquid
ad diuini NVMINIS gloriam la-
bores nostros, spes erit. Vita igna-
ua et otiosa nec placita umquam
nobis, et, ne aliquando vel necessi-
tar, vel voluntas adueniat, serio
deprecor. Idem epist. LXIII.
p. 37. Ut diu viuam, non id est vo-
torum meorum summum: ut bene
viuam; id vero toto pectoris ad-
fectu opto, aueo, voueo.

LIPSIAE,
EX OFFICINA STOPFFELIA.

3d 6020 II.



TA-906

W.M. Witt



COMMENTATIO
DE
GAVDIO SANCTORVM EX SALVTE
SACERDOTVM PERCEPTO

Q V A

SALOMONI DEYLINGIO

THEOLOGO CELEBERRIMO ET MAXIMIS DE RE
DIVINA MERITIS ILLVSTRI

ANTISTITI SVO ET EPHORO GRAVISSIMO

PIE Q VE COLENDO

IVBILAEVM MVNERIS SACRI

GRATVLATVR

MINISTERIVM SACRVM LIPSIENSE.



L I P S I A E
M D C C L V.

